



3:00 May


P. d. 247

theol.
IV. C. 8.

XI Dissertationes variū argumenti.

J. VII, 892.

~~III 11/10 J. V 17~~



9 THEOLOGVS CIRCVTOR 2

SEU DE

PERIODEVTIS

VETERIS ECCLESIAE

RESTITVENDIS

VOTVM,

QVOD

PRÆSIDE

GVSTAVO GEORGIO ZELTNER,

D. P. P. ET P.

DISPVATIONIS HIST-THEOLOGICAE

A. R. S. MDCCXVIII. D. AVGVSTI

PROPONENDÆ ARGVMENTVM

ESSE VULT

GE. SEB. Herbst/

NORIB.

ALTDORFII NORIC.

LITERIS IOD. GVIL. KOHLESII, VNIV. TYPOGR.

THEOLOGVS CIRCVITOR

SEVDA

BERIODENTIS

RESTITVENDIS

NOTIA

QVOD

PER RESIDE

GVSTAVO GEORGIO ZELTNER

D. P. P. ET P.

DISPVATIONIS HIST-THEOLOGICAE

A. P. S. WIDEX. III. D. AVGVSTI

PROFONDAE ACADEMIAE

ESSENSI

GE. SER. DUMM

NOTIE

LABORUM NOTIE

LIT. HISTOD. CIVIL. KONIGS. VNI. TYPOG.



CAP. I. CRITICVM.

§. I.



Ox *περιοδευτής*, sicut origine, ita constanti etiam usu, græca, a circuitu deducenda, sine omni dubio vel *functionem* denotat, vel *actionem* certe, eo modo perficiendam, ut non in uno loco consistat, cui demandata est, sed hac illac transeat, donec circulum aut terminum absoluerit, certo quodam modo fixum. Confirmant hanc notionem cognata *περιοδευειν*, *περιοδο*, *περιοδικός* & similia, istius adverbium, itemque *περιοδευτηκός* aliaque plura, quæ in rhetoricis, medicis, & ipsa quoque arte fallendi assentandique, verborum, curæ morborum, officiorum humanitatis, ac insidiarum *circuitionem* designare passim solent.

§. II. Nos, ceteris hujusmodi missis, & ad fora Grammaticorum rejectis, quinam *περιοδευται* Græcis dicti sint, investigare pro virili conabimur. Eoque libentius hoc labore defungimur, quo luculentius deinceps ostendendum erit, nonnullos quoque viros doctissimos, vocabuli ambiguitate deceptos, de *sacris Periodentis*, & Ecclesiæ Christi ministris, hoc nomine insignitis, judicium non satis defæcatum tulisse, & translationem, minus commodam, ex arte medica applicatione ad curam animæ facta, infeliciter instituisse. Quo nomine cum primis diligentissimi viri Cl. *Salmasius* & I. C. *Suicerus*, cum aliis pluribus, deinceps vapulabunt.

§. III. Ut ergo nomen, quod præ manibus est obscurum, ante omnia in aperta magis luce positum exhibeamus, notandum est, in Græcia ipsoque ejus natali solo usurpatum haud

raro legi de *Athletis*, qui in ludorum celeberrimorum agoni-
bus vires suas experti sunt, ipsaque adeo *agonistica* quam vo-
cant *disciplina*. Quemadmodum enim nomen tritissimum
περίοδος, a generali notione sapissime deflectit, & ad singula-
ria certamina accommodatum est, cujusmodi in Græcia qua-
tuor olim agones sacri præ ceteris clarebant: ita qui eos omnes
quatuor ordine vicisset, (verba sunt *Salmasii* (a) *περίοδον vicisse*
dicebatur: Contra qui in uno alteroque ludorum v. g. Olym-
piis, tantum superior discefferat, eum neutiquam periodi vi-
ctorem soliti sunt appellare, sed nomen ab uno alteroque ludo
adeptus, eoque contentus esse jubebatur. Hæc igitur *perio-
dus* de solis quatuor sacris certaminibus, Pythiis, Isthmiis,
Nemeis, & Olympiis, conjunctim dici consuevit.

§. IV. Hinc porro *σεφάροι περίοδικοί* vocabantur, quos
reportaverant certaminum illorum sacrorum Victores univer-
sales, & qui superaverant ipsi Athletæ *περίοδονίται* quoque le-
guntur cognominati. Minus tamen hoc cognomentum fre-
quens, at multo frequentius erat, quo *Periodentæ* vocati sunt,
h. e. Athletæ, qui circulum illum sacrum cum victoriæ laude
absolvissent. Quo nomine præcipue inclaruit notissimus ille
& robustissimus *Milo Crotoniates*, quippe qui sexies Olympia,
toties quoque Pythia, Isthmia decies, Nemea denique novies,
ac pròinde universum circulum, semel iterumque confecisse
apud *Plutarchum* dicitur. Neque etiam temere alius quisquam
occurrit, cui eandem laudem, tanta præsertim cum excellentiâ
& consensione, Græcia tribuat. Indita quidem sunt his victo-
ribus & alia nomina, non minus honorifica, sed sollicitos nos
de illis esse, non sinit instituti ratio.

§. V. Vtrum & Poëtæ hoc nomine ornati sint, de quibus
ex *Babria Tzetzes* narrat (b) quod *κύκλω πάσαν ἐξ ἑθὺς κώ-
μην περιόντες* carmina & cantilenas decantarint, non habemus
dicere.

(a) Plinian. Exercit. fol. 596. G. coll. fol. 27. E. (b) Chil. XIII. hist. 477.
cont. Celeberr. Schyvarzius noster de Poët. Cycl. §. 21.

dicere. *Agrytas & circulatores*, qui appellarentur, digniores fuisse, dubium non est. Neque etiam de *Rhapsodis* (a) publice in Theatris, privatimque in conviviis carmina sua, ex Homero præcipue & aliis Poëtis confuta, decantantibus, idem ausumus affirmare. Illud certum est, rem ipsam Germanos nostros, uti olim ex consuetudine vetustissima, ad concelebranda Heroum facta, ex disciplina *Bardorum* (b), quorum *Phonasci* nostri haud dubie propago sunt, tenuisse, & adhuc vestigia in lucricupidorum novellarum cantorum, nostra hodieque fora interdum exercentium, superesse. Atque hinc nomen saltim *Periodentarum* in eos quodammodo convenire liquet.

§. VI. Omnium vero certissimum est, *Medicos* hujusmodi *Periodentas*, sicuti nomine, ita re quoque huic nomini congruente, frequentissime inter Veteres commemorari: ita tamen, ut in partem deteriorem appellatione conversa, apud Scriptores omnigenis græcos, plerosque certe, male audiant. Perinde uti *ἑσπεριῶται*, sordida notione, qua servis olim æquiparabantur, nonnunquam despiciantur erant, eo quod, uti qui *ἐνέματα* hodie per clysteres injiciunt, Medicorum nonnulli, olim, applicandis potius, quæ a *Seplasiariis* empta fuere, quam præscribendis medicamentis, operam darent. Hinc *Medici Periodenta* nominati, ait *Salmasius*, *qui urbes & mercatus circumibant Medicina faciendæ gratiâ*. Eodem fere sensu, quo vulgo latina voce, sed græcæ ex asse respondente, *Circumforaneos* hos *Medicistros* appellitare solent. Iidem & *Pharmacopolæ* olim dicti, h. e. *theriacorum propolæ*, *herbarumque*, *radicum*, *similiumque medicamentorum* institores: quos a *circumeundis variis locis oppidisque*, in quorum foris *venalia ejusmodi habebant*, id nomen tulisse, quis dubitet, &

A 3 pluri-

(a) v. post *Scalig.* & *Salmas.* *Lud. Kustevi Critica Homeri* Sect. IV. f. 86. seqq. (b) *Morbos.* de *Germ. lingua & Poesi* c. 6. seq. coll. *Tacit.* de *Mor.* *Germ.* & *Cluver.* collect. in *Germ. antiq.* passim.

pluribus quoque laudatus *Salmasius* (a) probatum dedit. Idemque quid sit fueritque veteribus medicis *cyclo curare*, h. e. certum & medicamentorum & ciborum potusque ordinem præscribere, accuratissime observandum, exposuit, atque huic etiam consuetudini τὸ περιόδευεν accommodatum fuisse, edocuit.

§. VII. Ita quidem rem sese habere, præter *Salmasium*, passim videas quoties vocabulum hoc explanandum est, Philologos & Lexicographos affirmare; sed haud ita pridem *Vir quidam doctissimus* (b) injuriam fieri innocenti & honestiori nomenclaturæ conquestus est. Is enim non agyrtas & circulatores, malam in partem sic dictos, seu circumforaneos, sed ordinarios & genuinos civitatum oppidorumque Medicos ita nuncupatos ait, eo quod in circumeundo per ædes, & visitandis hinc inde ægris, occupati essent. Quamobrem etiam *Clinicos* dici consuevisse, quod tamen ægrotorum decumbentium deinceps nomen fuit, idem addit. De qua nomenclatura pluribus b. *Bosius*, seu, qui forte ejus Dissertationis verus auctor est, *Marquardus Gudius* ex professo disseruit (c). Vtcunque sit: nobis *Periodeuta* vocabulum, de quibus etiam usitatissimum est, rectissime in Medicos omnis generis quadrare, videtur esse apertum. De ceteris autem, & quibus proprium, diverso nimirum sensu, olim fuerit, alii, quibus vacat, dispiciant.

§. VIII. Ceterum, quod ad posteriorem attinet sententiam, qua Medicis plerisque (varii namque gradus eorum quondam fuere (d) communem hunc titulum fuisse affirmatur, ea tanto est verisimilior, quanto evidentiora præsto sunt testimonia, quibus verbum περιόδευεν creberrime, profanis & ecclesiasticis Scriptoribus, pro eo quod latinis est *mederi, sanare, medici-*

(a) *Exerc. Plin.* in Solin. fol. 739. B. seqq. (b) *Everb. Otto* de ædilibus coloniarum & municipiorum cap. VI. n. 7. (c) *Diff. Hist. de Clinicis* Eccl. Ver. I. Resp. I. *Brandsbagen* 1657. cujus tamen altera pars nunquam, quod sciamus, lucem aspexit. (d) v. laudata *Diff. Gudiana* Cap. I. f. 11. seqq.

medicinam facere, promiscue usurpatur. De nomine ipso notissimus est in *Pandectis* (a) locus, ubi *Modestinus*, cujus fragmentum istic recitatur, a subeundo onere tutelæ inter alios *ιατρῆς, τὰς περιουτείας καλυμένους*, eximit, reddita ratione, quod *λειτεργῶντες*, h. e. publicis commodis inservientes, & ab his officiis non avocandi sint. Verbum autem *περιοδεύειν* tritissimum, pro cura medica usurpasse *Moschum, Nilum & Chronici Alexandrini scriptorem, Carolus du Fresne* (b) ostendit: ubi etiam *περιοδίας* nomen in *Hippiatricis*, non minus quam verbum, hac notione crebro occurrere annotavit. Ex Patribus vero ecclesiasticis exempla permulta, nominatim *Athanasio, Suicerus* excerpta dedit (c) in quibus id maxime memorabile est, ubi *Christo* etiam cœcum Jo. IX. (*περιοδεύσαντι*) sananti ea nomenclatura tribuitur (d).

§. IX. Extat quoque apud *Epiphanium* (e) vexatissimus locus, ubi de præputio medicamentis retrahendo, quorundam Apostatarum a religione Judaica & Samaritana, fit mentio, eosque *Præsul Constantiensis καλλιητικοίς, περιουθεντες*, atque sic de recuperando præputio ante dicto laborantes, vocat. Quamvis enim haud nesciamus, quantopere de hoc ipso vocabulo Critici sint solliciti, quorum nonnulli *περιουθεντες* legere malunt; his tamen doctissimum *Salmasium* (f) plane satisfacisse persuasi sumus. Sed nec opus est hoc uno loco, cum & alia suppetant, quæ ex profanis & ecclesiasticis monumentis diligentissime congestit *Dionys. Petavius* (g), inter quæ *Dioscoridis περιουθεντικόν τόπον*, eam partem medicinæ, quæ de curationibus ac remediis agit, vocantis, itemque *Basilii Seleuc. & Greg. Thaumaturgi* notatu sunt dignissima: quorum alter morbo in-

(a) Lib. XXVII. tit. de Excusat. leg. 6. coll. Leg. I. §. 1. de vacatione

(b) Glossario medicæ & infimæ græcitatæ ad h. voc. fol. 1152. (c) *Thefs. Eccl.* P. II. fol. 676. (d) *Athanas. orat. in cœcum a nativ.* T. II. f. 687. (e) L. de mensuris & pond. §. 16. fol. 172. (f) *Exerc. Plin.* Tom. II. f. 739. B. seqq. (g) *Hierarch. Eccl.* L. II. c. XII. n. 8. seqq. Op. Tom. IV. fol. 74. b. coll. *Gundling, ad Can. LVII. Conc. Laodic.* P. 443, seqq.

bō inveteraro, diurnam poenitentiam (περιδευέτω) mederi debere, alter vero ægrotum a medico, non medicum ab ægroto, (περιδευέτω) curandum aïens, spiritali sensu applicant: quæ quidem ad faciendam dictis fidem sufficiunt. Neque enim de translatione opus est, ut quicquam addamus, quoniam ex origine prima, de ea satis superque constat.

§. X. Reliquum esset, ut de salutantium, sive officiosorum, sive etiam assentatorum, & insidias aliis struentium περιδευέτω, aliquid adderemus. Nam qui multa per limina salutationes potentiorum mane obibant, etiam περιδουον facere olim dicebantur: quem orbem appellat *Juvénalis*, turbamque eum apud Romanos peregisse summo mane, non sine sale, inquit. Sed quoniam non adeo luculenta in medio sunt exempla, quibus περιδευέτω & περιδευέτω salutatores illi dicantur, satis nobis erit, levi tantum brachio hæc quoque teitigisse. Qua de causa & deceptiones, quas vulgo latini haud multum diversa notione *circumventiones* vocant, omittimus, quoniam ad alia progredi, eademque magis necessaria, animo constituimus. Quibus volupe est in hæc pluribus inquirere, illis, *Salmasium*, toties jam laudatum, ut consulant, aliorumque Criticorum loculamenta excutiant, suademus.

§. XI. Ad *Latinum forum* si transeamus, huc forte referri possunt *circulatorum, circitorum* seu *circatorum, & circuitorum*, denique *circumcellionum* & forte plura hujusmodi nomina. *Circulatorum* hodie plerumque in deteriorem partem transductum, minusque honestum vocabulum est. Ut plurimum enim de circumforaneis Medicis & Impostoribus, olim quoque de Sortilegis, & de Circo Astrologis usurpatum legitur. Qui cum quæstus causa vagentur variis in locis, & sordide sua jactitent, unde etiam *Quintiliano* (a) *jactatio circulatoria* dicta est, non possunt non, ut olim, ita nunc quoque male audire.

Contra

(a) *Instit. Rhet. L. II. c. 4. & Lib. X, c. 1.*

Contra usum honestior, & militaris vox *circutorum*, qui vigiliis circumveunt, & an omnia recte se habeant, dispiciunt, apud *Vegetium* aliosque habetur. Neque etiam de infidelibus adhibitur, qui vestes distrahendae domesticatim circumferunt & venditant, male accipi a Jure Consultis meminimus: etsi usitatius sit *Circutorum* vel *Circitorum* geminum nomen, ex diversa fortassis scriptione librariorum ortum. Denique nec desunt exempla, ubi hortorum custodes, quia, ne fures ingrediantur, frequenter eos circumveunt, ita appellatos videas (a). Quae nisi Graece ad *περιόδιον* referrentur, & saepenumero etiam *περιόδοι*, uti concorditer *Glossaria* (b) perhibent, vererentur, hoc loco non adduceremus: quanquam usum quoque alium, nec spernendum, has observationes deinceps praestituras, deprehensuri sumus.

§. XII. De solis tandem *Circumcellionibus*, sceleratissimo hominum genere, restat, ut nonnulla subjiciamus. Hos Donatistarum partes secutos, constat sic dictos esse, quod victus sui causa circum cellas rusticanas vagarentur. Vitae autem genus nefandum eos exercuisse, sic ut iter facientibus manus quoque injicerent, domus diriperent, expoliarent, templaque incendenter, vario armorum genere instructos, ex variis *Augustini* Libris & *Optato Milevitano* notissimum est. Quemadmodum vero ipsos quoque Donatistas ad extremum societatis eorum puduisse, iidem non semel referant, similiter ex Hist. Schismatis Donatistarum constat (c). Hoc loco id genus hominum, ad *απτοχερῶν* usque, aut extorquendam certe ab aliis necem, sibi inferendam, infantium, & a *Taurino* comite vi coërcitorum, commemorare placet, quoniam *Philastrius* (d) *Circuitores* quoque illos nominavit, certoque modo ad ineptissimum

B

simum

(a) conf. de his G. J. Voss. in Etymol. L. L. ad vocem *Circinus* & *Circitor* (fol. 136. a. b.) (b) Ea certe quae ab *Henr. Stephano*, *Aleusio* & *Labbeo* edita & inspecta a nobis sunt. (c) *Ittig.* Hist. Donat. §. 79. (d) *Winfus* ead. Hist. & Disp. M. Diezii de *Circumcell.* Lipsi, hab. (d) L. de Hæres. c. 84.

simum genus sceleratorum Periodentarum, referri posse nobis videbatur. De reliquo a *Periodentis* nostris, de quibus nunc acturi sumus, licet ortus sui tempore cum iisdem bene conveniant, toto tamen cœlo differre, res ipsa docet, & nos quoque pluribus paullo post demonstratum dabimus.

§. XIII. Propius ad nostrum institutum accedunt, quæ de *Prodicto*, celeberrimo inter Græcos Sophistas nomine, historiarum monumentis prodita sunt: Quippe quem diversa, a peregrinationibus Romanorum & Græcorum litterariis, ratione usum esse, Hist. Philos. Scriptores referunt. Sicut enim tyrones artium utriusque gentis, præcipue ad eruditionem acquirendam, hinc inde circumvagati sunt; (quorsum & *Thomasiæna Disp. de Scholasticis vagantibus* spectat) ita ille tota Græcia circulando, quasi *περιόδωρος* quidam philosophicus, studiosis juvenibus doctrinæ suæ arcana obtulisse fertur, ea tamen conditione, ut quilectionibus interesse cuperet, 50. drachmas solvere teneretur, teste *Suida* (a). Sed quia hæc quoque, perinde uti Judæorum quorundam v. g. *Ben. Azzai*, *Tiberiade* in plateis docentis, & primorum præsertim, cum Patriarcha suo *Ignatio Loiola*, *Jesuitarum* (b), itemque *Quackerorum* (c) aliorumque Fanaticorum oberandi consuetudines, ad summam rei, de qua commentabimur, non attinent, hic subsistere placet, multaque fuisse *περιόδωρων* genera hæcenus brevibus monuisse sufficiat.

CAP. II.

(a) *conf.* *Diction. Hist. Crit. Byzlii* f. 1514. & addatur *Jacoberus* in anal. de philos. vet. peculiaribus studendi modis §. 4. extr. (b) *conf.* *Seekend. Hist. Luth.* L. III. §. 84. n. 14. 15. 23. ex *Maffeo* L. II. *lib. 191. Hist. vit. Ignar. &c.* (c) *Vid.* *Crasus* *Histor. Quackerismi* f. 238. de Penno & aliis alibi passim.

CAP. II. HISTORICVM.

§. I.

Post Critica quædam, de vocabulis *περιόδευσις* & *περιόδευσις* primariis, præmissa, quæ non inutilia esse ex sequentibus patebit, jam *quinam fuerint περιόδευται veteris ecclesie, seu ecclesiastici*, inquiremus. Si longioribus nobis esse liceret, occasio heic offerretur, præclara de tota Hierarchia, ut vocant, ecclesiastica, ipsoque hoc nomine, ministerio ecclesiæ haud bene congruente, quippe quod *διακονία* est, non *ἀρχία*, copiose exponendi. At enim vero non solum angustia compendii, sed rerum quoque adhuc dicendarum ingens copia, quo minus a capite ordiamur, & ad extrema ordinis ecclesiastici munia pergamus, prohibent. Quare proxime & nexu inseparabili cum *Periodentis* coherentes duntaxat dignitates carptim contemplari animus est, ut quæ *muneris novi origo* fuerit, & *quibus operam suam præstiterint Periodente*, denique *in quorum locum etiam successerint*, quantum necesse est, intelligamus. Quo facto, *cujus generis ordinisque tandem & ipsi fuerint, quæve muneris partes*, quas demandata sibi functione obierint, luculentissime, ut speramus, patefiet.

§. II. Constat nempe ex antiquitate ecclesiastica, tres potissimum ordines inter Clericos, jam II. Sec. ex loco I. Petr. V, 3. & Act. I, 25. seq. non incommode ita dictos, celebres fuisse & usitatos, *Episcoporum Presbyterorum & Diaconorum* nominibus appellatos. Porro de Episcopis, sintne Jure Divino a Presbyteris distincti, iisdemque superiores, & quo jure successione, nemo ignorat inter nos & Pontificios, interque Anglos etiam, Episcopaliū & Presbyterianarum partium, vehementer disceptari. Hoc de dissidio post Homerum Iliadas scribere non vaçat, nec lubet (A). Illud breviter notabimus, ne-

B 2

gari

(A) Supplebunt abunde, quæ dicenda essent *Salmæsi*, *Walonis Mossalini* nomine, de Episc. & Presb. scripta Disp. *Dav. Blondelli* Apolog. pro sententia Hieron. & nostris *Hildebr.* de Episc. itemque hæresi *Aerii* Exercit. *Velhemii* Dissert. de Episc. & Presbyt. juribus, nec non *Budæus* de Origine & potest. Episc. atque alii.

gari quidem non posse, antiquissima (quanquam in controversis v. g. Ignatianis monumentis plerumque) & Apostolico ævo proxima Episcoporum occurrere nomina, & quidem ita, ut Episcopus tanquam *πρωτεύων*, a Presbyterio non sine nota aliqujus prerogativæ distinguatur: quo ariete fere unico nituntur, qui eminentiam hujus dignitatis præ Presbyteris tueri solent. Sed si difficultatem hanc, circumstantiis bene comparatis, procul omni affectu, in utramque partem nobiscum reputemus, sola distinctio inter Episcopos *diocesanos* & *parochiales* rem omnem conficiet (a). Illos videlicet pedetentim mox exortos esse, & uti notissima Hieronymi verba (b) habent, *unum de Presbyteris electum, superpositumque ceteris, ad quem omnis ecclesie cura pertineret, & schismatum semina tollerentur*, vel, ut paulo post inquit, *paulatim, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam*, indubitato videtur statuendum. Hos vero non minus quam illos Episcoporum nomine esse insignitos, ut Apostolico tempore, sic ætate paulo post subsecuta, non minori jure affirmatur, cum Scriptura præeat, & Scripta Apostolicorum virorum, quæ quidem pauca supersunt, genuina, nec non Cypriani adhuc Epistola Sec. III. non obscure idem eloquantur. (c)

§. III. Enimvero parum refert ad hoc nostrum institutum, quemadmodum hæc discriminis origo tam vexata comparata fuerit, tamen plurimum in quæstione de ministerio ecclesiastico, & ordinatione sacra genuina, inde pendeat momenti. In præsentī quippe, qualiscunque fuerit distinctio, divini an hu-

mani

(a) Placet Anonymi Angli Schediasma, quod: *Episcopatus in Eccles. primit. obtinentis clara Exposit.*, inscriptum, & Lond. 1712. 8. editum est, hinc vero in A. E. Lips. Suppl. Tom. VI. sect. II. f. 60. seqq. recensetur. (b) *Comment. Ep. ad Tit. Cap. I. coll. Ep. ad Evagr. 85.* cujus verba ipsi Juri Can sunt inserta. (c) vid. Ep. 55. & 66. & conf. celeberr. J. Cei Just. Henn. Böhmeri Dissert. Jur. Eccl. Diss. V. & VI. de Christi an. veteribus in vicis & agris §. 2. seqq. & adde B. Hildebr. I. c. §. 6. cum Comment. Böhmeriano ad Petr. de Marca de Conc. Sac. & Imperii L. II. Obf. IX. §. 1. seqq.

mani juris, notabilem utique, jam sub initium Sec. IV. Episcoporum & Presbyterorum, longo usu, differentiam invaluisse, largimur. De eo potius nunc disputabimus: Utrum majori libertate ecclesiae, post persecutiones cruentas, indulta, auctoque inde parochiarum numero, & extra civitates pluribus indies coetibus collectis exstructisque templis, soli Episcopi rebus omnibus peragendis, sibi cumprimis incumbentibus, pares fuerint, nec ne? Aut si ferendo oneri non impares fuisse dicamus, partemne laboris cum *συνεργοῖς*, adjunctis vel subjunctis, communicare voluerint. De priori, h. e. necessitate, non satis liquet, cum amplitudo singularum diœcesium non penitus explorata sit, & multa adhuc (a) cum obscuritate colluctentur, quæ sacram Hierarchiam IV. etiam Seculi, multoque magis antegressorum Historiam, dubiam reddant; De posteriori, seu voluntate, verbis opus non est, cum testimonia rerum præsto sint evidentissima.

§. IV. Nam dubium non est, quin paullo post quietem ecclesiae redditam, immo turbis adhuc subinde emergentibus, Episcopi sibi adsciverint, cum fastu simul ingruente, ex Presbyteris *ἐπιχωρίοις* seu ruralibus (incertum an adhuc, olim certe & Episcopis dictis) & forte *Μετρομιτανῖς* (b) adjutores, quos ex eo tempore Chorepiscopos nominare cœptum est. Prima enim eorum, & hoc ipso quidem cum nomine indito, in *Ancyranâ Synodo*, A. R. S. 314. circiter in Galatia congregata, de quo omnes consentiunt, fit mentio; cujus (c) verba sunt: *χωρεπισκόπους μὴ εἶναι πρεσβυτέρους ἢ διακόνους χειροτονεῖν ἀλλὰ μήτε πρεσβυτέρους πόλιως, χωρὶς τῆ ἐπιτραπήναι ὑπὸ τῶ ἐπισκόπου μετὰ γράμματων ἐν ἑτέροις παροικίαις.* Posthæc vero tempora in *Synodis Neocæsariensi* C. XIII. *Nicæna* C. VIII. *Antiochena* C. VIII. & X. & *Laodicensi* C. LVII. & sequentibus aliis, in-

B 3

primis

(a) Vide hæc breviter a Cl. D. V. E. Læschero de *Periodis & Conversionibus Hierarchia Eccles.* 1708. exposita. (b) vid. *Jac. Gotthofred. L. VI. ad Cod. Theod.* de Patrocinii vicorum, (c) Can. XIII. qui Codicis Can. eccles. univ. est XXXIII.

primis *Chalcedomensi* Can. II. scriptisque ceteris, publicis pariter, ac Patrum eccles. privatis, iplisque Conciliorum subscriptionibus, præsertim in græca ecclesia, memoria eorum oppido celebris fuit. Neque tamen etiam Occidenti eadem dignitas plane incognita mansit. Quamvis enim, ut *ἀνευβέσας* *Blondellus* (a) ostendit, sero admodum eorum usum, in his terris receptum esse, solide probari possit, & fere non nisi in Gallia & Germania, atque in Capitularibus Regg. Franc. & German. eorum reperiat memoria, recepta tamen alibi quoque functio, rariussepe vero idem nomen expressum legitur.

§. V. Ceterum ἀπὸ τῆς χώρας, seu, ut *Carolus du Fresne* loquitur (b) quasi τῆς χώρας ἐπισκοπῶς dictos esse, eaque de causa Episcopos *Villanos* etiam *Vicanosque* Latine nuncupari solitos, ævo præsertim Carolino, non operæ pretium est, ut multis evincamus: quoniam, quem laudavimus, nobilissimus Gallus, itemque *Zimmermannus* atque alii permulti (c) id pluribus testimoniis diligenter congestis, jam satis probatum dedere. Digniores autem sunt, quodnam fuerit officium? & quis ordinis inter Clericos gradus? quæstiones, quæ moveantur ventilandæ. In quibus alteram quidem proclive est expectare; quandoquidem cuncti propemodum Antiquitatum Ecclesiasticarum cognitores in eo consentiunt, *Vicarios* fuisse *Episcoporum* in rebus extra civitates, quæ quidem horum sedes fuerant, forinsecus proinde, in oppidis, vicis pagisque peragendis, certis tamen limitibus, præsertim quod ad ordinationes Ministrorum ecclesiæ non unius generis attinet, circumscriptos. Unde etiam Episcopo Chorepiscopus sec. *Canonem Antiochenum X.* disertis verbis subicitur, quando *civitati urbis*
Episco.

(a) de Episc. & Presbyt. Sect. III. f. 132. conf. *Zimmermanni* Anal. miscell. mens. XII. n. 4. p. 596. seq. (b) Gloss. med. & inf. latinic. Tom. I. f. 969. (c) Nuperrime Celeberr. C. M. *Pfaffius* Dissert. de Evang. temp. *Anastasi non corrupt.* §. 2. Primit. Tubing. f. 41, ubi plures quoque de iisdem Scriptores traduntur.

Episcopi subjectus esse jubetur (a). Altera vero, fatemur, tam intricata est, ut valde dubitem, ad Episcoporum ne, an Presbyterorum ordinem, eos connumerare fas sit: quippe qui in utramque partem rationes oppido graves, etiam a viris, quantumvis partium studio non addictis, adduci observamus, ac præterea, utram in partem definias, non ita magnum pondus tam nostris quam Pontificiis, pro alteratra parte sentientibus, accedere censemus (b). Quanquam etiam parum absit, quin *Petavii*, non tantum, *magni nebulonis* convitio in *Salmasium*, inter ceteras causas capropter insurgentis, indignisque modis eum tractantis, impotentia animi, si quis in re seria locus est joco, a verisimiliori sententia, facile absterreri possemus.

§. VI. Utur sit: non male, certe non insulse, in re maxime impedita *Hildebrandus (c)*, postquam non tam vicarios otioforum Episcoporum, quam rurales Episcopos fuisse, sibi persuasum esse affirmavit, tandem, coniectando *istorum ratio*, pergit, *fortassis se ita habuit.* Eo tempore cum omnes ecclesia ministri indifcreto nomine & Episcopi & Presbyteri appellarentur (d) illi quoque, qui in vicis seu pagis ecclesiis præfuerunt, non modo Presbyteri, sed Episcopi (e) etiam nomen habuerunt, iique urbanis Episcopis nondum subjecti, suo jure suas rexerunt ecclesias. Postea cum equalitate sublata unus reliquis Presbyteris præponeretur, ipsi, qui Episcopi nomen solus obtinebat, ut urbici,
ita

(a) Conf. b. Ziegler. de Episc. l. 1. c. 13. (b) Conf. in Compendio inter nostros pro affirmativa: Fuisse nempe Presbyteros, b. W. Gundling. Not. ad Concil. Laodic. Can. LVII. n. a. adversus Petavium mactente depugnantem, add. Ziegl. l. c. contra Beveregium militante. At pro Negante J. H. Böhmeri Dissert. ante cit. V. §. 6, seqq. (c) Exercit. de Episc. a. 1662. §. 50. (d) Quod ad Sec. usque IV. initia factum esse defendit l. c. Böhmerus. (e) Novo id firmatur argumento, si subscriptiones Conc. Niceni l. animo perpendas, in quibus, sub initium statim pacatoris Ecclesiæ status, unius provinciarum plures, v. g. Cæsariensis duo, Cappadociæ quinque, quatuor Isauriæ, ac duo tandem Bithyniæ Chorepiscopi adhuc numerantur, Conf. Hartm. & Ruelii Concil. T. II. fol. 216, seqq.

ita non minus villatici Presbyteri fuerunt subiecti. Ideoque & ab Episcopo urbis ordinari consueverunt. vid. Conc. Antioch. can. X. Hos vero vicarios Presbyteros, nomen Episcopi aliquandiu retinuisse, Canonum monumenta loquuntur. Minus quidem hi poterant quam Episcopi civitatis, plus vero quam urbani Presbyteri (a) quibus etiam in Concilio Ancyrano Can. XIII. opponuntur. Episcopalia enim jam tum exercuisse videntur, dum sine autoritate & permissu Episcopi superioris seu urbani, Presbyteros & Diaconos ad tempus ordinarunt, quod e Canone XII. Concilii Ancyrani est perspicuum &c. Quæ si ita sint, verisimillimum etiam nobis est, mediæ conditionis, inter Episcopos & meros Presbyteros, fuisse Chorepiscopos, nostrisque Decanis, Specialibus, Inspectoribus non temere comparari posse (b). Et quoniam Episcoporum in civitatibus affectatæ eminentiæ obtare credebantur, nec miramur, in eorum locum *Periodontas* subrogare variis (c) in locis placuisse,

§. VII. Vberimus hic de pluribus aliis disquirendi campus apertus esset: An abrogati sint, & a quibus Chorepiscopi? Epistola ne Damasi genuina an supposititia, qua, uti non male *Schilterus* l. c. observavit, in suo districtu eos reprobarit? Sitne potestas eorum deinceps imminuta in illis locis, ubi superstites mansere? Et quæ causæ hujus Consilii, de Chorepiscopis in ordinem redigendis, fuerint? utrum ex ambitione Episcoporum id consilium tantum susceptum sit? an quod ipsi supercilium tollere viderentur? & quæ sunt alia hujusmodi. Sed non opus est his ambagibus. Satis enim nobis est *Periodontas* alicubi, nec sine usu ecclesiarum, Chorepiscoporum loco, seu, ut idem

(a) Iisdem verbis, postquam contra Beveregium, Episcopalem dignitatem illis vindicantem, pugnaverit, rem optime enunciat *C. Zieglerus* de Episcop. L. I. cap. XIII. §. 22. f. 216. seq. (b) Adjunctos Superintendentium vocat *Schilterus* Instit. J. Can. L. I. Tit. 7. §. 21. (c) Nam post tempora Sec. IV. frequens adhuc Chorepiscoporum occurrit mentio,

idem *ferre*, (a) quod illi, agerent, consulto fuisse adhibitos. Manifesto hæc indicant celeberrima Concilii Laodicensis verba: (b) Ὅτι ἔδωκεν ἐν ταῖς κώμας καὶ ἐν ταῖς χώραις καθίστασθαι Παισκότας, ἀλλὰ περιουτούς. Τὰς μὲν τοὺς ἤδη προκαταθέντας μηδὲν πράττειν ἄνευ γνώμης τῆς Παισκότας τῆς ἐκ τῆς πόλεως. ὡσαύτως δὲ καὶ τὰς πρεσβυτέρους μηδὲν πράττειν ἄνευ τῆς γνώμης τῆς Παισκότας. Idemque locus, jam porro occasionem nobis subministrabit, de pluribus, sed brevissime differendi. Quorum cum sint compendia facienda, brevibus ac *primo* quidem, quænam fuerit muneris Periodeutarum rationes, una cum ipso simul nomine, ab interpretationibus falsis vindicato, exponemus; *deinde*, ubinam ecclesiis officia sua præstiterint, investigabimus; ac *denique*, quam diu duraverint, ut ex monumentis antiquis eruamus, opera data, ad Cap. III. progrediemur, quo *restituendorum votum*, *votique* instaurandi muneris præstantissimi *causas* modeste edisseremus.

§. VIII. Rationes partesque muneris utilissimi, cum nomen consulto impositum, tum etiam in Chorepiscoporum locum substitutio, in quibusdam certe ecclesiis prorsus manifesta, ac denique interpretum præstantissimorum consensus, declarant. *Nomen Periodeutarum* a circumeundo deducendum esse, nemo, opinamus, dubitabit, nec *Glossaria*, quæ inspeximus, cuncta, dissentiunt, (c) quippe quæ *περιουτουτην* *circitorem*, *lustratorem*, notabili vocabulo, totumque muneris conspectum exhibente, vertunt, ac denique eam notionem præter alia argumenta, ne significatus vocabulorum nativus temere deferratur, regula naturalis & vulgaris exigit. Quam ob rem non possumus satis mirari *Cl. Salmasium* (d) *Suicerum* (e) & eno-

C

fris

(a) Plus minusve, non determinamus: Ipsos enim Chorepiscopos deinceps Periodeutas fuisse appellatos, quæ *Suiceri* & *Hildebrandi* est sententia, toties distincta utriusque muneris, in eadem oratione, mentio, falsum esse demonstrat. (b) Canone LVII. Ecclesiæ univ. CLXI. (c) Supra laudata, *Stephani*, *Meursii*, *Labbei*, aliorumque diligentia edita. (d) Dissertat. sub nomine *Wal. Messalini* de Presbyte, & Episc. scripta f. 314. seq. (e) *Thef. Eccl.* Tom. II. f. 676. seq.

stris etiam *Hildebrandum* (a), nec obscure supra laudatum *Ortonem* (b), ac plures forte alios eo abiisse, ut vocem hanc *Curatorem* seu *medicum animarum* reddiderint: inter quos nonnulli etiam eandem notionem, superflite nomine *Curatus*, quo Parochi deinceps promiscue, ævo medio, appellari cœpere, illustrare voluerunt. Eamque conjecturam postremam cum *Salmasius* l. c. paullo confidentius tueretur, dici non potest, quanta eum acerbitate perstrinxerit *Petavius*: quem hac potissimum de causâ, quod Curatorem cum Curato, qui æger potius sit quam medicus, commiscuerit, *inscitia*, *deliriorum*, *stupiditatis* insimulat. Quam dicacitatem cum non probemus, multo tamen minus argumentum Jesuitæ approbare possumus, quippè quod, si, usu loquendi potius, quam Grammatica forma, spectata voce, hominem altius *evecctum*, atque a patrone *prælatum curatumque* denotari dicas, facile dilui putamus.

§. IX. Sed etiam aliæ suppetunt rationes, quæ munia *Periodutarum*, in lustrandis obeundisque ecclesiis constituisse, demonstrant. Etenim, cum a Laodicensis Patribus & alibi multoties aperte discernantur a Chorepiscopis, quos curatores etiam animarum fuisse, quacunque demum dignitate pollerent, negari non potest; annon satis hinc elucet, aliquid a curatione animarum distinctum & proprium *Periodutarum* munus fuisse? Id vero non aliunde, quam ex propria vocabuli notionem intelligitur, quæ *visitatorem* & *circitorem* denotat, qui *rusticanas ecclesias obit, & obeundo ac lustrando disciplinam constituit & ordinat* (c). Accedit ad hæc, quod, quando cetera ministrorum ecclesiæ nomina ad unum omnia proprie sumantur, in hoc uno, cur ad metaphoram longius petitam deflectamus, causa non sit. Quæ porro uberius, quoquot in Cap. I. adduximus notionum variarum exempla, corroborant, quorum

(a) De Episc. §. 50. med. (b) de Ædil. col. cap. VI. n. 7. ubi similem Medicorum circuitioni esse significatum vocis ait, & vico alicui certo affixos fuisse statuit. (c) Verba sunt hæctenus bene se habentia *Petavii* l. c. §. 10. f. 75. A.

rum ne unicum quidem reperiri potuit, ubi non circumeundi actus vel fundamentum, vel functionis alicujus adjunctum fuisse,prehendimus. Sed demus, genuinam esse hanc vocabuli sententiam, ut curatores animæ *Periodentas* fuisse affirmes, atque ita præclare vocabulum latine exprimi posse arbitraris, tamen circumeundi, obambulandi & perlustrationes instituendi officium, h. e. modus, quo cura illa animæ exerceatur, negligi non debebat. Quodsi admittendum sit propriam vocabuli potestatem exprimens munus, quid deinceps ambagibus tralatitiis opus sit, non intelligimus.

§. X. Omnium autem firmissima sunt veterum interpretum, pro nobis facientium, luculenta testimonia. Primum in his quod explicationi muneris inservit ex *Codice Corp. Jur. Justiniani* petitum est, ubi (a) semel iterumque ipsius Imp. *Justiniani* verbis, simul ad divinos Canones provocando, sancitur: μήτε επίσκοπον, μήτε χωρεπίσκοπον, μήτε περιουεϋτήν, μήτε πρεσβύτερον, μήτε άλλον οίασθήποτε άξίας κληρικόν επιδοσει χειροτονείσθαι, & si comperiat aliquid præbuisse, removeri jubetur. In hoc loco antiquissima versio latina, græcum περιουεϋτής *visitatorem* sive *circuitoem* semper reddidit. Ita quoque *Balsamon* (b) descripturus eosdem: Ουτοι γάρ αιτ, περιουεϋται, και επιτηρεσι τα ψυχικά σφάλματα, η καταρτιζουσι τους πιστες. Ubi cum primis notabile est, quod *navis spiritualibus* seu *ecclesiasticis*, inter circumeundum corrigendis, eos adhibitos fuisse ait. Multo vero clarius est testimonium *Zonara*, (c) qui ideo dictos esse *Periodentas* designatos εν κάμυς και χώρας, inquit, δια το περιέρχεσθαι και καταρτιζειν τους πιστες μη έχοντες καθέδραν οικείαν. Ex quibus verbis, cum videatur proclivis esse decisio controversiæ, paullo antæ motæ: num certæ sedi affixi fuerint nec ne? data occasione hic monendum no-

C 2

bis

(a) Cod. Lib. I. tit. 3. de Episcop. & Cler. Leg. 42. ed. gr. I. Patianæ. f. 45. b. & 46. a. (b) Comment. ad Can. LVII. Concil. Laod. apud Bevereg. Tom. I, f. 480. (c) Ibid.

bis est, *Zonaram* non tam de certa sede, quam Cathedra, h. e. episcopali dignitate ac throno, ut olim vocabant, loqui, atque Episcopos proinde non fuisse, subindicare; utrum vero ecclesiae alicui fuerint affixi, nondum hinc effici posse. His breviter annectimus versiones usitatas v. g. *Dionysii Exigui* A. 533. clarentis, & recentiorem *Isidori Mercatoris*, quisquis etiam fuerit, atque *Gentiani Herveti*, a quibus summo consensu *visitatores*, item *circumcuratores*, ac porro, *visitatores qui circumcurant*, latine, Periodeutæ nostri, vocantur. Vnde etiam *circatores* & *circada*, h. e. census, qui solvitur ab ecclesiis pro visitatione, post hæc tempora innotuere. De quibus *Carolus du Fresne* consuli potest. (a)

§. XI. Quæ cum ita sint, non difficile erit dictu, ubinam ecclesiis officia sua præstiterint. Siquidem continuis obambulationibus ἐν κώμαις καὶ χωραῖς, uti *Zonaram* audivimus loquentem, h. e. in *pagis & agris*, extra sedem Episcopi, eos occupatos fuisse, hinc dilucidum est. Vtrum vero præter illud, obeundi provinciam (seu diocesin, munus, etiam certæ alicui ecclesiae, in civitate aut extra eam, affixi fuerint, sicuti supra audivimus *Cl. Ottonem* asseverasse, in medio relinquimus. Non tamen dissimulamus, negantem sententiam probabiliorem nobis videri, quam affirmantem. Quamvis enim non repugnet, si dicamus e civitatis forte primariae Presbyteris, ad circuitum hunc delectos fuisse, qui oneri ferendo præ ceteris pares essent: attamen tutius esse, nusquam fuisse, ut dicatur, qui ubique erant, h. e. nullius ecclesiae Presbyteros, plane credimus. Idque ex subscriptionibus eorum in Conciliis colligimus, ubi *πρεσβυτέρως καὶ περιόδευτὰς* simpliciter vocari consuevisse, apparet (b). Ita enim habebat subscriptio: *Sergius Presbyter περιόδευτὴς τῶν ἀγίων ἐκκλησιῶν ἐπιχωρίων τῆς πρώτης Σύρων*

(a) Gloss. med. & inf. latin. T. I. f. 994. A. B. (b) Vid. Concil. Constantinop. sub *Menna* habi. un. A. 535. quod extat gr. I. Tom. V. Concil. conf. du *Fresne* Gloss. græcil. ad h. v. f. 1152.

Σύρων ἐπαρχίας, & paulo post, alius περιουτης μονης γινωδες memoratur. Quem locum cum citamus, non possumus, quin ruralium ecclesiarum, plurium inquam, non parochiæ tantum suæ, (uti quidem *Snicerus* l. c. existimat *in uno loco mansisse ἐπισκοπω εντας*) eos visitatores, ac proinde circumambulando, egisse, iterum animadverti velimus. Et quia etiã Chorepiscopi a certo loco in subscriptionibus non denominari solebant, hinc amplius non obscure visitorum quoque eos partes habuisse, atque eatenus Periodeutas illis successisse, conficitur. (a)

§. XII. Reliquum est, ut ad quem ordinem pertinuerint, & quam diu duraverint, exquiramus. Presbyteros fuisse nemo fere dubitat; si quid vero, quod potestatem Presbyterorum excederet, peregerint, illud sine præcepto & consilio Episcopi perficere non potuisse, atque ipsas adeo ordinationes minorum graduum, si quid forte illis vicario nomine indultum fuit, Canones aperte pronunciant. De numero quoque hæc difficilis est controversia. Etenim si amplior fuit diœcesis Episcopi, quis dubitet pluribus demandari consuevisse, certe potuisse, provinciam; si arctior, uni. Plurium equidem numero non sine causa videntur loquuti Patres Laodiceni. Sed fatius est, si, uti Chorepiscoporū numerum, ita quoque Periodeutarum dicamus variasse. Interim non fuere iidem, qui ἐπισκοποι πρεσβυτεροι in *Concil. Neocæsar.* dicuntur, (b) quippe quo nomine Pastores extra civitatem vocantur. De duratione autem magis impedita est disputatio. Negari certe non potest, uti *Sec. IV.* cœpere, vel primum nominari, vel munere hoc suo defungi, ita proximo *V.* eoque medio in Concilio Chalcedonensi eorum mentionem porro fieri. In eo namque *Valentinus* quidam Presbyter ordinatus ab *Iba* dicitur, atque huic, quod hominem impium, adulterum & ἀπισθησόντιν ἐχειρα-

C 3

τόνησε

(a) adde quæ in eandem sententiam notavit *Justellus* ad *Cod. Can. Eccl. Univ. Can. Cl. XI.* edit *Meier.* f. 217. (b) *Can. XIII.* quæ sententia est *Cavei* in *Christ. primi P. I.* cap. VIII, f. 236.

τόνησε πρεσβύτερον καὶ περιοδευτὴν, grandis dica scribitur. Contra in eodem Concilio *Alexander* quidam ἐυλαβίστατος πρεσβύτερος καὶ περιοδευτὴς laudatur (a). Ita quoque Gennadius eorum An. circiter 459. meminit, ut distinctorum a Chorepiscopis & meris Presbyteris hoc officio non fungentibus (b), Seculo VI. jam ante locus memorabilis ex Codice Justiniano adductus est, itemque alter ex Concilio Constantinop. particulari allegatus. Visitatorum equidem *Gregorius* aliquoties injicit mentionem (c), & latini hoc vocabulo sæpius utuntur, præsertim ubi de visitationibus monasteriorum sermo est, sed vereor, ut exacte *Periodeutis* nostris respondeant (d). Exinde vero vix nomen amplius monumentis literarum proditum est.

§. XIII. Diu post a *Joaanne Episcopo Citri*, A. 1203. clari, *Periodeuta* denuo memorantur, sed utrum eosdem quoque intelligat, quales pristini erant, obscurum est; inter officia tamen, quæ Presbyteris congruant, numerat. Ceterum apud *Sozomenum* (e) querela extat de *Basilio Ancyrano*, quod περιοδευτὴ φόνων ἀλίαν γενομένου ab ecclesia non segregasset, quem locum *Car. du Fresne* (f) pro nostris *Periodeutis* citat, sed circumforaneum medicum hic intelligi, quemadmodum & *H. Valesius* reddidit annotavitque, in aprico positum est. In Græca Ecclesia rudera quædam adhuc inter Exarchos supersunt, qui tamen (g), quia non ad reformandos mores, sed ad colligendos nummos decimarum & proventuum, visitatum diocæses, a Patriarcha mittuntur, quemadmodum & Judæorum

(a) *Concil. Chalced.* Actu X. edit. Colon. 1618. & Actu IV. fol. 34r. quæ loca debemus *Beveregio* noris ad *Concil. Laod.* Tom. II. Pand. Can. f. 198. seq. (b) in *Epist. Encycl. contra Simon.* Conc. Tom. IV. & *Beveregii* Pand. Conc. Tom. II. p. 182. (c) V. g. L. III. ep. II. ad *Maximian.* Syrac. Episc. pl. alibi. (d) Episcopos sane fuisse hosce Visitatores luculenter probavit *Eusebius* de *ἑσδοσίμοις* *Vet. Eccl.* cap. IV. §. IV. f. 61. seq. (e) *H. E. L.* IV. c. XXIV. f. 581. edit. *Vales.* (f) *Gloss. med. & infim. Græcit.* f. 1153. (g) v. *Venerab. J. A. Schmidii* *Lexicon Eccl. min.* Lit. P. p. 215.

rum Apostoli (a) solebant, scopo nostro parum inserviunt, & vix nomen illustrant. Multum quoque a Periodeutis hisce nostris differunt, Episcoporum apud Pontificios *Suffraganei*, *Officiales Vicarii*, de quibus muneribus passim agunt Jur. Can. Scriptores: qui & *Vicarii foranei*, quem Episcopus, habens amplam diocesim, ut loquitur *Engelius* (b), in certa aliqua ejus parte constituit, faciunt mentionem. Denique etiam quaestio hoc loco ventilari posset: utrum Periodeutæ iidem fuerint, qui *Θεοδωμοι*, & tabellarii ecclesiastici, epistolas praesertim Encyclicas circumferentes? quia vero hoc argumentum summa diligentia exhaustit paulo ante laudatus *Fischerus*, ad eum L. B. ablegamus, & ad Caput nostrum III pedem promovemus.

CAP. III. PRAGMATICVM.

§. I.

Cuncta hæc, quæ superiori capite dicta, & ex antiquitate repetita sunt, si ad usum ecclesiæ, quod omnino leges prudentiæ sacrae poseunt, applicemus, institutum *Periodeutarum* ceteris omnibus antecellere, planissime ostendunt; atque hinc, quo instaurationem eorum omnibus modis optemus, argumentis non spernendis inducimur. Id vero ut ad oculum magis demonstremus, respiciendum videtur, cum ad praesentem ecclesiæ statum, tum etiam commoda ex eo instituto saluberrimo expectanda advertere oportet, ac denique exempla quoque proferre juvabit, quibus, quod suademus, etiam reapse perfici posse, multo quam præceptis fieri solet, luculentius intelligetur. Quo fiet, ut, nisi nos omnia fallunt, non solum rei ipsius, seu muneris utilissimi nova introductio sese probatura sit; sed etiam modus & compendia instaurationis hujus functionis appareant, ad quæ insti-

(a) De quibus, præter *Mayerum*, legi potest *Spanhemius* de Apostolis & Apostolatu Disquis. hist. §. 7. seq. Tom. II, Opp. f. 192, seq. (b) Coll. Jur. Can. L. I. Tit. 18. f. 158, b.

instituti saluberrimi rationes accommodari, ea vero, quæ forte minus commoda videantur, tanto rectius emendari queant.

§. II. Antequam vero propius ad hoc propositum nostrum accedamus, de ipsis *visitationibus* earumque *necessitate* & *antiquitate* brevibus differendum est. Heic sane fatemur præceptum, conceptis verbis, de ecclesiis cœtibusque iterum iterumque invisendis, injunctum ministris V. D. nusquam occurrere in Veteris Novique Testamenti tabulis consignatum. Querimoniam equidem subinde leguntur, quibus falsi prophetae, de neglectu populi, & lustrationis ejusdem accusantur. v. gr. Ezech. XXXIV, 4. seqq. Neq. desunt Liturgiæ generalis Apostolicæ *regula*: cujusmodi præstantissima est, quæ 1. Cor. XIV, v. ult. habetur, & ut omnia *ordine* atque *decenter* in ecclesia fiant, præscribit. Possunt & Pauli monita huc referri, quæ Act. XX, 28. atque in Epist. Pastoralibus ad Tim. & Tit. multoties inculcantur: quando istic, Ephesini Episcopi seu Presbyteri *παντὶ τῷ κοινῷ προσέχειν*; hic autem, v. g. 2. Tim. IV. 5. Timotheus *ἔργον ποιῆν εὐαγγελιστῆ καὶ τὴν διακονίαν σε πληροφορεῖν*, Titusque capite I. v. 4. *καταστήσαι κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους καὶ τὰ λείποντα ἐπιορθώσαι*, jubentur. Quæ omnia certe sine accurata Ecclesiæ perlustratione, immo & peragratiōne suscepta, recte & integre perfici haud possunt. Tanto vero plura in medio sunt posita *exempla*, jam ante Christum natum, & deinceps a Scriptoribus Sacris annotata. In his illustrissimum est, & omnium fere primum (Patriarcharum enim circuitus alius sunt generis,) quod 1. Sam. VII, v. 16. de *Samuele* per annos singulos circumeunte, & partim ut propheta, partim ut iudice, varia hinc inde oppida visitante, cum encomio non obscuro narratur. Ex quo & *Concil. Trident.* (a) argumentum desumpsit, Episcopos vel ipsosmet, vel per vicarios aut visitatores de diœcesi sua frequenter lustranda, & hætenus quidem laudabiliter, adhortandi. Haud dispar diligentia in eadem lustrationis

(a) Sess. XXIV. c. III. de Reform.

nis cura, *Josaphati* inprimis aliorumque regum maxima, ipsaque visitationis forma, 2. Chron. XVII, 6. seq. prædicatur. Neque etiam Mathatix & amicorum animosa, quæ 1. Maccab. II. 45. seqq. describitur, sedulitas negligenda est.

§. III. In N. Fœdere, non alius major, & qui exemplo illustriori esse possit, occurrit *Periodonta*, quam ipse *Sospitator* noster *J. C.* Cujus cum tota vita, ab initio publice susceptæ prædicationis Evangelii, in obambulando inter suos per Palestinam, ageretur, hinc etiam vitæ compendium Act. X. 38. unico vocabulo *δηλθεν, ενεργετων* scil. *και ιωμεν* πάντας, una cum doctrina nunquam non sparsa, & pluribus in locis sæpius repetita, exprimitur. Post ascensionem Servatoris de *Petro* Act. IX, 32. memoriæ proditum, *διερχόμενον δια πάντων*, confirmandis novis Christianis eum dedisse operam. Hinc *Paulus* etiam memoratur Act. XV, cum *Barnaba*, non tantum v. 3. Phœniciam & Samariam transiisse, sed eosdem pariter v. 36. clarius, ad visitandas (*επισκεψόμεθα τις αδελφός ημών τις κατά πάσαν πόλι*) ecclesias, in quibus verbum Dei antehac annunciaverant, sese accinxisse, idemque etiam perfecisse, quod instituerant, divinis monumentis v. 41. consulto a Sp. S. expositum est. Sunt & alia hujusmodi diligentix exempla, in lustrandis cœtibus divinis, in itineribus & Epistolis Pauli obvia, ipsique etiam lustratores frequenter nominantur; sed non opus est verborum ambagibus. Princeps enim comitum Apostolicorum, & qui primas in his quoque rebus tenuit *Timotheus*, quique, cum ad laborem hunc subeundum corporis animique dotibus (2. Tim. II, 22. Phil. II, 20.) instructus esset, & modo hic modo alibi, Pauli jussu obambulans, versaretur in Ecclesiis collectis, *Periodonta* etiam genuini Iconem omnium accuratissimum exhibet. Ut omittamus omnium Apostolorum characterem inter alios proprium: quos, quia *ελευθερος* (1. Cor. IX, 1.) i. e. nulli Ecclesiæ affixos, & ad ecclesias pristinas sæpe

reversos esse constat (a), non male *Tertullianus* (b) *destinatos nationibus magistros*, *Spanhemius* (c) *καθολικὸς Ἰπισκόπος καὶ οἰκουμενικὸς*, quibus toties orbis circulus obeundus erat, paulo vero horridius *B. Calichius* (d) *Evangelische Landfahrer* appellavit; Nos modestius *Periodentas universales* (e) appellaremus.

§. IV. Sed quid multis laboramus de argumentis visitationis officium confirmantibus, quod vel ipsum nomen *Ἰπισκόπος*, accuratam Ephoriam fidei nostræ commissorum per se denotans, deponit; unde & Atheniensibus Episcopi vocati sunt *οἱ εἰς τὰς Ἰπισκόπικὰς πόλεις Ἰπισκόποι* (f). Quæ etiam ratio procul dubio fuit, cur in Canonibus quoque priscæ ecclesiæ purioris, parum de eadem præceptum reperiatur, & si modum visitationes hujusmodi instituendi excipias, fere nihil. Nempe tam necessaria Præsulibus visa est hæc pars curæ ecclesiasticæ, ut non tam præcipienda, quam sædulo perficienda, & ut quam optime perfici possit, administrabilis commodissimis juvanda ac promovenda videretur. Huc certe spectant, quæ Cap. II. jam fusè de *Chorepiscopis* & *Periodentis* antiquis, dicta sunt & adducta in medium. Huc etiam referatur modus examinandi propositus, cujus specimen, sed oppido mutilum in *Concilio II. Bracarensi* (g) superest antiquissimum. Huc porro pertinet illa *Gregorii M.* sollicitudo, quam in multis epistolis a *Fischero* (h) aliquoties laudato, diligentissime collectis probavit, & visitationes Episcopis

(a) vid. *Cave* Antiquit. Apost. Præf. de Offic. Apost. §. 5. p. 159. ed. Germ. (b) de præscriptis hæreticorum c. XX. f. 237. ed. Rigalt. (c) Dissert. de Apostolis & Apostolarum §. 17. & 32. T. II. Opp. f. 297. & 305. seq. (d) Postilla ad Fest. Matthæi f. 838. (e) Cum qua appellatione conveniunt tituli Pseudepigrapharum *Ἰπισκόπων* Petri, Philippi &c. de quibus litig. Append. de Hæres. 132. (f) *Suidas* in voc. *Ἰπισκόπος*. (g) Hispanicum est Concil. A. 572. celebratum, quod extat Tom. V. Concil. Labb - Cossart. ed. f. 894. & apud Hartmannum T. III. f. 717. Hujus loci est Can. I. qui, quod & *ambulantium per dioceses* distincte meminit, cum primis notari meretur. (h) Cap. IV. de Theodromis §. IV. fol. 62.

pis studiosissime injunxit. De temporibus post Gregorium elapsis, uti obscura corruptissimaque fuere, ita parum lucis ad præsens negotium hinc sperandum, & si a Francorum solertia (a) discedas, altum inter ceteros, hac ipsa negligentia in barbariem profundius demersos, de visitationibus Parochiarum totarumque *διοικήσεων*, silentium. Atque ita res acta est, donec Sec. XII. *Jus Canonicum*, corpore quasi quodam, ad imitationem Juris Civ. denuo & publice propositi, comprehendì cœpit, & deinceps novis accessionibus locupletatum est. Ex eo sane tempore copiosiores etiam de visitationibus ecclesiasticis disputationes agitatae & leges sancitæ, incertum, an & observatæ sint. Illud tamen certum est, quicquid harum rerum statutum, id fere post Sec. XI. & XII. contigisse, in quibus Imperantibus summis ea potestas, cum convitio haud raro Simonia, palam abjudicata, Episcopis contra, iisdemque solis, exclusis principibus & aliis magistratus collegiis, assignata fuit. Atque hinc etiam factum, ut inter Jura Episcopalia, ea quoque pars non postrema numeraretur.

§. V. Quemadmodum vero *Episcopalia* illa *Jura*; post id tempus a Clericis sibi vindicata, & quibus τὸ νέερον in Republica competebat, extorta, multisque modis hinc exornata, reique faciendæ accommodata fuere: ita distinctiones exinde sunt auditæ multiplices: cum alias hujus juris partes ad *Ordinem*, alias ad *Jurisdictionem*, nec non ad *statum* seu *dignitatem* referrent, quasdam denique *Legis diacesanae* esse perhiberent. Hæc pluribus explanare nostrum non est, quibus ad præsens institutum sufficit, *Legi Diacesanae* eminentiori *Jus visitandi* connumeratum esse. Has porro visitationes in *locales*, *speciales* seu *Diacesanas*, quæ ab Episcopis peraguntur, & *generales*, quibus ipsi Episcopi per Metropolitanum, denique *universales*, quibus & Metropolitanus per Primate visitantur, discerni notum est: ad quas etiam pervulgata differentia ordina-

(a) Vid. p. p. §. VIII.

dinariarum, & extraordinariarum, adjici solet. Unde quæstiones de privilegiis variis & locis exemptis, jure visitandi nativo, aut delegato, multiplices, amplius enascuntur (a). Omnium tritissima est controversia, utrum Episcopus ipse visitationis actum expedire debeat, an vicariis uti possit? in qua decidenda tamen non difficiles sunt Juris Canonici Scriptores, ut veniam, sive propter occupationes, sive etiam morbos (defectum enim scientiæ Episcopum dedecentem ex obliquo plerumque notant,) indulgeant, aliorumque opera vicaria uti Antistitibus permittant (b). Disceptari quoque de tempore videas, quoties eæ sint repetendæ: ubi tamen ut singulis minimum annis, vel sæpius quoque, si opus sit, instituantur, ut plurimum jubent; Jure vero Anglicò quolibet triennio (c) peragenda est. Alibi, ut in Marchia Brandenburgica, per certos annos tractusque, ob amplitudinem distribuitur. (d) Alibi alii mores obtinent. Reliqua, quæ Zieglerius l. c. diligentissime evoluit, ad res, loca & personas, quæ visitationi subjacent, ac denique sumtus, qui procurationis nomine appellantur, aliaque hujusmodi pertinent. De quibus omnibus satis nobis est, summa rerum capita attigisse.

§. VI. Plurima certe, quæ inutiliter sæpe numero de hisce rebus ex Jure Canonico disputantur, in terris Protestantium hodie parum attendi solet, totumque adeo jus visitandi, non ex singulari concessione, aut privilegio, multoque minus Pontificia lege, sed principum aliorumque ordinum, qui jura, ut vocant, *Superioritatis territorialis* tenent & exercent, deducendum

(a) Conf. inter Juris Eccles. Scriptores b. *Linckius* de Jure Episc. c. X. n. 9. f. 276. seq. & *Schilerus* L. I. J. J. C. tit. 6. cum observationibus nuperim *Hornianis*: & ex professo de Jure visitandi Eccles. b. *A. Pritschius* tractatu absolutiss. in quo præter jura, etiam forma visitationum accurate descripta legitur. (b) vid. *Zieglerus* Diss. de Visitat. Eccl. & Procurationis jure habita Witteb. 1679. §. 4. seqq. (c) conf. Tract. de Politia Ecclesiast. Angl. *Rich. Mockett*, excerptus in Act. E. Lips. Suppl. Tom. IV. Sect. III. p. 118. seqq. (d) *Brumm. Jur. Eccl. L. I. Cap. VI. m. XII. §. 2.*

cendum est. Vulgo (a) quidem, sed minus accurate, uti jam ante dictum, quæ huc pertinent Ecclesiastica, *jurium Episcopatum* titulo insigniuntur, rectius vero ad summum jus sacerdotum, seu ut *Grotiani* clarissimi *libelli* inscriptio habet, ad *imperium summarum potestatum circa sacra*, uti cetera, ita jus quoque visitandi refertur, & ad arbitrium imperantium, quod cum Scripturis collata Ecclesiæ salus dirigit, perficitur. Atque hinc fit, ut non solum, quotquot fere sunt Status suo jure imperantes, & *τοὺς νόμους* in republica, in qua etiam est ecclesia, tenentes, hac potestate utantur, sed totidem etiam leges aut consuetudines diversæ, quantum ad visitationes, observentur. Quæ *observantia*, ut vocant, genera multiplicia, cum non improbemus, quia ad unum quoque eundemque scopum, non una tamen via, contendere licet, incolam agentium, præsertim summarum potestatum, libertate; probare tamen haudquaquam possumus, quod ob has forte causas, &, quoniam ut plurimum jam satis superque notus videtur ecclesiarum status, tum ne subditi sumtibus expendendis onerentur, has ipsas visitationes nimis raras in Ecclesiis Evangelicis esse videas. Cum tamen, præter dexteritatem docendi homileticam & catechetica sæpe deficientem, partim lolium doctrinæ erroneæ, appropinquante mundi fine latius callidiusque sparsum, partim vita doctorum æque ac auditorum, minus sæpe, ut experientia docet, castigata, ac eorum denique, quibus cura scholarum & ærarii ecclesiastici commissa est, negligentia incitiatque, & innumerabilium eventuum, ex civili jurisdictione multiplici præsertim ortorum, copia, creberrimam, accuratissimam, præsentissimamque inspectionem identidem exigant.

§. VII. Quæ cum ita comparata sint, multique alii hinc observentur navi, more solito nec explorandi satis, nedum emendandi, totius ecclesiæ salutis, qui finis remediorum quo-

(a) Conf. accurate ea de nomenclatura judicantem *Gerbardum LL. Theol.* Tom. VI. de magistr. politico §. 179. 1010.

que dat mensuram, promovendæ, evitandisque, quæ non sine causa porro metuuntur, incommodis *Periodentarum* munus existimamus maxime idoneum, ejusque consilii, aut desiderii potius pii, has reddimus *rationes*. Et *primo* quidem *antiquissimus* is *modus*, non multo post, cum ecclesia pacatior & diffusior esse inciperet, electus, ipsa non solum vetustate, usuque diuturno, ut opinamur, eunctis commendatur; sed Statuum insuper Evangelicorum capitibus, tanto magis approbandus videtur, quanto minus probatus est Episcopis, qui simul ac altius emergere cœperant, Chorepiscopis ab initio oppressis, deinceps etiam & paulatim *Periodentas* e medio sustulerunt, & utroque horum modorum veterum in exilium misso summum quondam ecclesiarum neglectum, cum doctrinæ vitæque barbarie, passi sunt irrepere, interque hæc decrementsa, ubi nec remediis amplius locus esset, ipsi invaluere. *Secundo, divinis exemplis* eum visitandi morem quodammodo confirmatum esse, non obscuris supra documentis edocuimus: quæ imitari non modo maxime *laudabile* putamus, sed plane etiam, quod rerum politicarum multitudine plerumque obruuntur, quibus hæc potestas divino jure competit, Principes & Senatus Collegia, ita ut ipsimet coram ea exercere nequeant, secundum præsentem rerum, disciplinæ accuratioris indigentium, statum, *necessarium* ducimus. Ut omittamus, hanc quoque *methodum simplicissimam* esse, & veluti sine ambagibus ecclesiarum omnium conditionem facile notissimam reddit; ita novis quoque consiliis atque decretis, ut quod bonum est, stabiliatur, & quæ mala, e medio removeantur occasionem suppeditare percommodam posse.

§. VIII, Accedit ad hæc *tertio, impensarum* alioquin faciendarum egregium *compendium*. Cum enim quondam procurationum obtentu, aliisque id genus exactionibus, (a) ante eccle-

(a) Vid. *Gravam. Nation. Germ. in Comir. Norib. 1522. & 1523.* hab. proposita præcipue LXXXIV. & alibi.

ecclesiæ repurgationem, hoc quoque nomine intolerabilibus, premerentur subditi, & mirum quantum emungerentur opibus, ita ut non solum superfluis sumptibus (a) onerati essent, per Episcopos & delegatos visitationibus reuera incumbentes, & adducta sæpe magna hominum equorumque caterva, ut cum Comico loquamur, exederentur, & procurationes, neglectis licet visitationibus (b), ipsis exigerentur; Jam profecto, abrogato isthoc abusu, vel ipsæ visitationes quoque negligendæ erunt, quod Episcopali curæ divino jure recuperatæ repugnat, vel alia quadam ratione fini, Ecclesiarum congregatarum & conservandarum, rite attemperata consulendum, ut nimirum nullo aut mediocri sumtu lustrationes peragantur. Idque quam optime fiet, si *Periodentis* adhibitis, modico admodum laboris præmio & salario qualicunque, honesto tamen, fixo, neque ipsi etiam Magistratui, nedum subditis parochianis, aut ærariis sacris, amplius molestia creetur, atque sic nihilominus *compendiose* visitationum scopus exoptatissimus obtineatur. Ad dimus & *quarto*, neque corruptelis, fuce ac dolis, si cum tanto apparatu res agatur, vel, ut Jus Can. postulat, adventus diu ante præsignificetur, immo nec festinationi nimie, in tanta rerum gerendarum multitudine, intra tempus breve expedienda, locum fore. Quod si enim ex utroque ordine politico & ecclesiastico visitatores delecti solenniter, ut mos fert receptissimus, circumveant, (quemadmodum & olim mos obtinuit, cum *Missi regii*, una cum Episcopo, in Ecclesiis Francorum circumambularent, & in res uniuscujusque ecclesiæ inquirerent, quod factum est Carolingicæ familiæ (c) temporibus, fieri profecto aliter non potest, quin vel ex strepitu ac rumore vel iudicio etiam ante facto, adventum opportune resciscant, quorum causa visitatio instituitur. Hinc vero quid aliud quæso expectan-

(a) *Circadas* fuisse dictos supra Cap. II. §. 5. notavimus. (b) Zieglerus de Visit. Eccles. & procur. jure §. 27 - 36. ubi Concilium Tolet. I. & Valentini Canones oppositi citantur. (c) vid. *M. A. de Dominis* L. VI. de Rep. Eccl. c. V. §. 131. seq. fol. 92. seq.

peccandum, quam ut ὁφθαλμοδουλία, & ad tempus qualiscunque sedulitas, vel ex compacto obvertatur, atque ipsa visitatorum intentio optima, pessime frustretur, ipsique circuitores turpiter circumveniantur. Quæ quidem, si recte conjicimus, a *Periodentis*, eorumque libertate, ac taciturnitate, sacramento quoque firmata, non sunt temere formidanda. Eos enim non factò antehac indicio, sed ex improvise & ordine arbitrario peragrare dicecesin, ut incommodum illud evitetur, infra (a) omnino suadebimus.

§. IX. Superest *quinta* ratio: *frequens* nimirum iustrationum harum h. m. instituenda *repetitio*. Recte enim toties laudatus *Zieglerus*, non poterit, inquit, *visitatio salutarem habere effectum, nisi instet Episcopus, & monita sua subinde repetat, suisque decretis per executionem pondus addat. Quo circa visitationes non debent esse ita rara, ut multiplicentur corruptela, nec ita frequentes, ut propter impensas graventur parochiani.* -- Fieri tamen potest, ut frequentiore visitatione opus sit in ecclesia præsertim noviter conversa, aut multis vitiis inquinata, quo casu inspectione accuratior opus est. Jam vero sperandum vix esse, jam ante monuimus, ut, hoc præsertim rerum statu turbido, quo civilia negotia & militaria quoque alia ex aliis Indies cumulantur, occupationesque hinc in aulis ac civitatibus in immensum augmentur, solennes hæ visitationes tam frequenter, ut res exigit, instituantur atque iterentur. *Periodentarum* ergo opera defectus iste, ut curæ utriusque generis satisfieri queat, aliquo certe modo hæud incommode expleri poterit. Atque vel ob solam hæc causam eos restituendos esse, cum sit etiam modus visitationum simplicissimus, exemplis divinis confirmatus, fraudibus minime omnium expositus, patefaciendi status ecclesiarum aptissimus, ac neutiquam pretiosus, iterum concludimus, eamque instaurationem tota mente exoptamus.

§. X. Neuti-

(a) vid. §. 13.

§. X. Neutiquam vero his obstat, quod Concilii Chalcedonenſis (a) ſtatutum conſuetudine conſtanti adhuc comprobatum, prohibet, ſacro munere quenquam initiare, qui non certæ parochiæ præficiatur, quam (ἀπολειμμένως) *abſolutam* alias *ordinationem* vocant, aut *ſine titulo* collatam. Etenim *non eſt* ea conſtitutio *juris divini*, aut perpetui, ſed arbitrarii, & *talis* (Grotii verba ſunt) *ut multas exceptiones admittat*: quin, ut recte notat *Balsamon*, *ipſe Canon indicio eſt, aliter fieri ſolitum*: Grotius certe eo *Perideutas* refert, & a regula illa excipit. At enim vero *Perideuta* etiam ordinantur *abſolute*, quippe qui utique poterunt, ſi ita viſum ſit, ſimul eſſe Parochiæ alicuius, non admodum laboribus, concionandi præfertim, obrutæ, Presbyteri, ac præterea, tametsi id non eſſet, certæ tamen diœceſi præficiuntur: quo ipſo ſcopo hujus legis ſatis fieri poteſt, quam vagis duntaxat oberrationibus, Clericorum otioſorum, aut nihil agendo, male agentium, oppoſitam eſſe, maniſeſtiſſime apparet. Neque etiam ſummarum poteſtatum atque Magiſtratum auctoritati hoc inſtitutum aliquid derogat. Etenim uti *Perideuta* divino nomine ab illis in Eccleſia conſtituendi ſunt, ita quoque ab iisdem pari modo & jure penitus dependent, iisdemque etiam rationem actorum & cognitorum ſolis, vel ἀμέσως, vel, ubi locum habent, Synedriis ſacris reddere debent. Præter hæc vero etiam de ordinariis tantum viſitationibus nobis h. l. ſermo eſt, sæpenumero iteratis, quibus ſine intermiſſione continuatis, utique, ſi ſummis imperantibus lubitum ſit, & res eccleſiæ poſtulent, extraordinariæ (b) ob cauſas gravioreſ, ſumtu publico, nihilominus interdum, & hoc quidem modo, ſinæ moræ periculo, ſuccedere poſſunt, immo debent.

E

§. XI. In-

(a) Vid. ejus Can. VI. adde Grotium de Imper. ſumm. poteſt. circa Sacra c. X. §. 2. p. 104, ed. Francof. ad Od. (b) Vid ſuprà §. V.

§. XI. Inter comoda supra numeravimus compendium quoque sumtuum minuendorum. De his recte quidem B. Hartmannus (a): *Sumtus, inquit, exiguos non metuent magistratus publici, nedum exigent ab ecclesia, sed ferent sponte, quia actus est juris Episcopalis: quo loco etiam rem magni momenti vocat, visitationes Lutheranis commendatissimas esse debere, ait, & ut sapius instituantur, ac ubi nondum obtinent, noviter introducantur, serio suadet.* Atamen si quid expendendum est pro salario *Periodentæ* honesto constituendo, atque ex ærario ecclesiastico, antiquo more, nec simpliciter improbando (b) petendum videatur, ne sic quidem remedio locus deerit, cum ex parochiis singulis, mediocris aliqua nummorum symbola aut portio, pro facultatum cujusque modulo & proportionem, ad stipendium hujusmodi conquirendum, possit conferri. Quodsi vero aliunde, ut fieri certe multis modis existimamus posse, præsertim, ubi laudabili parsimoniam aliquod pretium statuitur, publico sumtu, v. g. publico equo, aut salario, uti diximus, ipso, ex ærariis principum atque rerum publicarum erogato suppetiam ferantur, nam illud *Nutritores Ecclesie*, quod Ec. XLIX, 23. augustum nomen huc ex asse quadrat, quam maxime deest, & animum veritatis Evangelicæ amantem, ejusque propagandæ studiosum prodit, atque hinc divinam benedictionem uberrimam certo afferet. Pie & recte B. Brunnemannus (c): *Hodie in tanta paupertate ecclesiarum utile esset, ut sumtus a superiore suppeditarentur, vel, ut frugaliter instituatur visitatio. Deberet fidus Christi minister sua quadra vivere potius, vel pane solo vesci, quam visitationem omittere.*

§. XII. Reliquum est, ut quæ *Persona* huic muneri administrando sint idonea, brevibus adhuc indicemus. Hic ergo viros requiri, *animi dotibus*, eruditione, pietate, fortitudine, in sustinendis præcipue adversis, rerum agendarum peritia & pru-

(a) *Pastorali Evang.* L. I. c. IX. §. 8 f. 48. (b) *Conf. Scbiterus J. J. Can. L. I. tit. 6. §. 7. seq.* (c) *de Jure Eccl.* L. I. cap. VI. m. XII. §. XI. f. 252.

prudentia, atque nntitia insuper Juris Ecclesiastici, denique methodi Catecheseos tractandæ, peritissimi, uno verbo tales, quales a Paulo descripti sunt *μαρτυρημένοι Τιμοthei*. His enim si instructi non sint virtutibus, metuendum esset, ne inscitia sua vel somnolentia, nedum offendiculis alia ratione objectis, plus sæpe oboessent, quam prodesse Ecclesiis ædificandis. Eademque de causa, ut cum frugalitate ac sobrietate, avaritiæ vitio non laborent, oculosque aut manus sibi haud patiantur *oblini*, vel nimis etiam creduli, neque etiam plus justo imperiosi sint, prospiciendum est. Dicit enim non potest, quam perniciosum sit, si minister ecclesiæ, quisquis fuerit, (verba sunt *Augustini* (a) non intelligat se esse Episcopum, qui prodesse dilexerit, non præesse. Adhæc nihil ecclesiæ magis noxium unquam extitit, quam si viro ecclesiastico non sit finis Evangelium, & sustentatio medium, sed sustentatio ex bonis ecclesiasticis finis fiat, medium vero officium ecclesiasticum reddatur (b), aut fatale illud *κατακυρτέειν τῶν κλήρων* contra Petri dehortationem 1. Petr. V, 3. in animum irrepit. Verum enim vero non sufficiunt solæ animi perfectiones, sed corporis etiam habitus desiderabitur oneri ferendo haud impar. Dispiciendum itaque de viris, qui corpore sint vegeto ac *valenti*, & sanitate firma, ut ciborum multiplicium pariter ac vecturæ incommodis, nec non tempestatibus, haud unius generis, quoad hominibus quidem prospicere licet, tolerandis non facile cedant, atque ipsi hinc muneris administrationi remora neutiquam injiciatur. Nec dubitamus fore, ut si Divina Clementia adspirante, saluberrimum hoc institutum ubique floruerit, ipsique *Circuitores* devote, sobrie & circumspècte domi & foris versentur, singulare, quale Apostolis contigit, hinc inde divagantibus, hac quoque in parte robur concedatur, Deique ipsius causa mirifice promovenda sit.

E 2

§. XIII. De

(a) L. IX. de civit. Dei c. XIII. (b) Ita *M. A. de Dominis* de R. Eccl. L. IX. cap. 1. §. 17, Add. *Petr. de Marca. Conc. S. & J. L. IV. c. VII. n. 6.*

§. XIII. De modo si denique scisciteris, parum est, quod supra communes Visitationum rationes, a b. *Fritschio* congestas, addere liceat, & pleraque etiam prudentiam, ad circumstantias singulares respicientem, ipsorum imperantium voluntate roboratam, exposcunt. Illud fatemur, nobis non displicere, quod celeberrimus quidam *Jctus* (a) de Lustrationibus his universe inquit: *Sepositis controversis in ceteris* (dogmaticis pariter & practiceis, catechesi imprimis recte formanda reformandaque, si opus fuerit, *inquisitionem posse visitatoribus* (Periodicis) *institui*. Necessaria ergo urgeantur; cetera ad Synodos rejici poterunt, vel examina docimastica subinde repetita, aliaque colloquia: ubi his præsertim nostris temporibus moderate ea tractari, quæ utilia sunt, satius erit. Quantum vero ad *tempus*, ut supra jam obiter animadversum est, (b) rectius facerent *Circuitores sacri*, si nec fixo die annuo, nec de composito, aut conventionem, cum Pastore licet solo inita, ejusque præscitu, sed inopinato toti parœciæ, quandocunque lubitum sit, supervenirent: Partim ut sic tanto certiores, quid se absentibus fiat, redderentur, partim etiam, ut docentes æque ac auditores, nunquam non de subitaneo adventu sollicitos, sedulos, paratosque haberent: quem modum agendi ipse nobis Deus præire solet. Ad *gravitatem* denique quod attinet, eam in *Periodicis* præ ceteris quoque requiri existimamus, quemadmodum & in *Timotheo Titoque* *σεμνότητα* (c) imprimis desideravit Paulus. Hanc vero, cum autoritate necessaria, non alia ratione melius, quam, si non gradu academico, ubi scilicet frequentiores illi sunt, saltem *titulo* quodam & *loco honoratiori* suffulciatur, censemus corroborari posse. Præmia enim hujusmodi ministris, si fidem suam diu probaverint, viresque labefactentur, altioris *βαθμῆ* ipse Apostolus 1. Tim. III, 13. pollicetur, ac deberi judicat.

§. XIV. Quod.

(a) b. *Brunnemannus* de Jure Eccl. L. I. cap. VI, membr. XII, §. 10.
 (b) Vid, Cap. III, §. 8. (c) Vid. Tit. II, 7.

J. XIV. Quodsi & *typum* desideres vivumque *exemplar* rei tam proficuae; En Chorepiscoporum (Land-Inspectorum) rectius *Petiodentas* dixeris, in Ducatu Gothano, a Serenissimo, dum viveret, & in caelis nunc quoque Illustrissimo *Ernesto Pio* Sax. Duce, ad exemplum Principibus cunctis divinitus dato, constitutorum, & adhuc ab incomparabili Nepote conservatorum, bonam partem, cum qualicunque nostra delineatione congruentem *ideam*: Cum *videret*, verba sunt scriptoris Vitae sancti Principis (a), *Princeps optimus, ecclesiastica illa ephoria, que instituta Protestantibus erat, non optime consuli ecclesiis, quod Superintendentes ac Inspectores eodem tempore, quo maxime debebant eo munere fungi, concionarentur (est enim utrumque munus conjunctum) constituit aliquot pios, eruditos ac industrios viros, qui immunes essent ab habendis Concionibus, aliisque sacris officiis, atque singulis equum alebat, ut in certo tractu certisve praefecturis circumequitarent, dominica maxime & festis diebus, & praeter expectationem in pagorum ecclesias inter sacra publica intrarent, Pastorem docentem aut capita catecheseos ab auditoribus exigentem audirent, auditorum frequentiam atque religionem considerarent, & an omnia ex praescripto sacrarum legum fierent, curate observarent. Hujusmodi Inspector si quid emendandum videretur, in pugillares referrebat, leviora ipse, ut emendarentur, admonerebat, graviora Consistorio denunciabat, cui de singulis ecclesiis, quas obibat, rationem reddere ex officio debebat. Sic inspectio & sapiens, & in singulis parochiis, peracta est diligenter, etiam in iis locis, quo vel nunquam, vel raro admodum Superintendentes, aliis districti negotiis, pervenissent. Haec ille. Plura haud dubie ex ipsa hujus illustris exempli accuratiori descriptione, quam per facile erit adipisci, addiscere, quibus haud impar institutum probabitur, poterunt.*

(a) Eyringii, in Vita Ernesti Pii cap. XIV. f. 59. seq. A. 1704. publ.

filia cuiquam obtrudere, aut quicquam horum *præcipere* videamur velle. Novimus enim Dei gratia nostro nos metiri modulo, & altiori indagini, hoc, quicquid est expositum, relinquentes, satis esse pro conscientia religione arbitramur, si, quod præscriptum vestibulo Dissertationis fuit, qualitercunque pie & modeste ea de re nostrum proposuerimus

Votum: quod ut DEVS O. M. fortunet prosperetque,

toto pectore per CHRISTVM JESVM

DOMINVM NOSTRVM

precamur.



AB: 153791


ULB Halle 3
002 727 544




86

24/10/00







J
THEOLOGVS CIRCVITOR
2
SEU DE
PERIODEVTIS

VETERIS ECCLESIAE
RESTITVENDIS

VOTVM,

QVOD

PRÆSIDE

GVSTAVO GEORGIO ZELTNER,
D. P. P. ET P.

DISPVATIONIS HIST-THEOLOGICAE

A. R. S. MDCCXVIII. D. AVGVSTI

PROPONENDÆ ARGVMENTVM

ESSE VULT

GE. SEB. Herbst/
NORIB.

ALTDORFII NORIC
LITERIS IOD. GVIL. KOHLESII, VNIV. TYPOGR.

